

duo seniores dimittantur, quatenus duo sint, unum, ut abbas cum hospitibus faciat caritatem, alterum, ut negligentes peccandi occasionem non invenient.

Cap. LVII.

DE ARTIFICIBUS MONASTERII.

Sciendum est enim, quia nunc novo ordine adgreditur S. Benedictus, cum dixit de mensa abbatis et post subjunxit de artificibus monasterii. Sed hoc sciendum est, quia quamquam novo ordine dixerit de artificibus monasterii, tamen rectum ordinem tenuit, cum subjunxit de disciplina suscipiendorum fratrum. Quasi interrogasset S. Benedictum dicens: Quomodo possunt esse docti artifices, sicut tu jubes, et qualiter docendi sunt, ut sint tales, sicut tu jubes? Ille vero quasi respondens subjunxit de ordine suscipiendorum fratrum, quasi diceret: ut tales possint esse, ita debent ordinate suscipi, sicuti inferius dicemus. Nunc vero prius, sicut coepimus, de ipsis artificibus disponamus. Ait enim: *Artifices, si sunt in monasterio, cum omni humilitate faciant ipsas artes, si permiserit abbas. Quod si aliquis ex eis extollitur pro scientia artis suae, eo quod videatur aliquid conferre monasterio, hic talis evellatur¹⁾ ab ipsa arte et denuo per eam non transeat, nisi forte humiliato ei iterum abbas jubeat.* Attendendum est, quia non dixit solummodo *cum humilitate*, sed *cum omni humilitate*, h. e. tam mentis quam corporis. Et non dixit solummodo *omni humilitate*, sed subjunxit *si permiserit abbas*, ac si diceret: tunc faciat illas artes cum omni humilitate, si abbas jusserit. *Erigatur*, i. e. evellatur. Et hoc notandum est, quia iste, qui pro scientia sua extollitur, non alteri subjacere debet poenitentiae, nisi ut evellatur ab ipsa arte, i. e. ut non exerceat illam. Hoc vero quod dicit *nisi forte humiliato ei iterum abbas jubeat*, attendendum est, quia dicit, ut non debeat pro extollentia artis suae iterum exercere, hoc est, quod

¹⁾ erigatur.